

## C A P V T III.

D E

IURE ET OBLIGATIONE CIVIUM  
QUA TALIUM INTER SE.

## §. I.

**E**st inter subditos eo arctius vinculum, quod non tantum sub unius imperio in unum corpus coaluerint, sed *inter se* quoque societatem æqualem (y) constituant.

§. II. Hæc societas æqualis inter subditos

an-

tam aliena est, vt merito verendum sit, ne tandem populus ad imprias libertinorum & de numine male sentientium opiniones vi nimia & magistratus severitate adigatur, ademto religionis, quam probant, cultu, & inculcatâ eius, a qua abhorreant, profitande necessitate, vt monuerunt Protestantes Belgici anno 1566. in literis ad Ducem Parmensem scriptis apud THVANVM lib. XL. p. 414. Quantas calamitates sententia contraria peperit, docent nuptiae Parisienses, varia gentium excidia, imprimis vero iudæorum miserrimæ clades, vt omnibus notum est.

(y) Faciunt subditi unum corpus cum imperante, & hancenius societas summe inæqualis est, & ex natura sua inæqualem obligationem & iura producit. Deinde inter se, non habito respectu ad imperantem, æqualem societatem colunt, id quod ex genesi rerumpubl. earumque nexus conspicuum, & lib. I. c. 2. P. Spec. demonstratum est: antequam enim corus se vnius voluntati subiiciat, inter se nexus æquali cohærente debet, qui nexus per imperium acce dens non absorbetur, sed firmatur, constringitur, augetur.

P p 2

(z) Actum

ante imperium imbecillis fuit, sed vires suscep-  
tit ex imperio eidem accedente. (z)

§. III. Proinde imperium superueniens  
non sustulit vniōnē illam æqualem inter ciues,  
sed potius firmauit, (a) cum absque impe-  
rio illa conseruari haud potuerit.

§. IV. Et quidem manente eodem nexu,  
censetur adhuc eadem societas esse, quæ olim  
fuit, (b) licet mutatæ personæ sint.

## §. V.

(z) Actum est supra de huiusmodi vniōnibus earumque  
defectibus, ex imbecillitate naturali deductis.

(a) De hoc itidem plenius actum supra c. 2. Patet exin-  
inde, quod *subditorum* inter se sit longe diuersa ratio,  
ac *extraneorum*, qui in eandem societatem ciuilem non  
sunt suscepti. His non æque ad defensionem obligan-  
tur, ac sibimet ipsis. Qui ληστραγοι exercuerunt, in  
alios, non in semet ipsis illam iure fundatam esse credi-  
dere. Non possunt denegare iura conciūbus, quibus  
in communi fruuntur, bene extraneis, quibuscum talis  
peculiaris societas non est inita. Hinc quod ciues  
extraneis præferantur, habet rationem. Olim apud  
Romanos peregrini in totum a *communione iuris Romani*  
excludebantur, saluis iuribus naturalibus & Gentium.  
Nec profelyti iuris Hebræorum participes erant, quin  
omne commercium iudeis cum incircumcisis erat inter-  
dictum, quo conciuem priuare non poterant. Hinc  
Antiochi amici Iudeos accusabant, *solos ex omnibus po-*  
*populis insociabiles esse extraneis*, ita ut cæteros pro hostibus  
ducant, cum nulla gente alia mensam habere communem,  
neque bene eos aliis velle. In hoc tamen Iudei leges na-  
tureæ minime obserabant, cum per talem societatem  
peculiarem non tollatur vinculum humani generis.

(b) Ita ex his principiis philosophatur Ictus in l. 76. de  
iudic. l. 7. inf. quod cuiusque univ. nom. id quod omnibus  
colle-

§. V. Cum vero subditi, vni imperio subiecti, non semper vno contineantur loco, hinc inde nascuntur plures subditorum *speciales societates*, (c) quæ inter se quoque separatas rationes habent.

§. VI. Et quia plerumque status subditorum diuersus est, diuersa quoque iura inter se quodammodo habent, (d) quatenus sta-

collegiis æqualibus commune est, consequenter quoque omnia iura, priuilegia & obligationes durant.

(c) Ab initio quidem singuli cœtus in uno loco collecti sumum peculiarem imperantem habuere, sed mox vni plures subiecti sunt. Inde originem traxerunt prouinciae, urbes, pagi, vici, qui cœtus singuli inter se peculiarem constituant *vniuersitatem*, vt vocantur in iure R., & peculiaria iura inter se habent. Agunt inter se ad instar singulorum. Possident bona in commune, quin omnia, quæ de collegiis dicta sunt supra, his applicari possunt. Vnde respectu summi imperantis ad instar priuatorum sunt, quod recte obseruarunt Icti Romani, qui ciuitates imperio Romano subiectas priuatorum instar esse iudicarunt, vnde *iura reipublicæ propria* sibi vindicare nequeunt, sed tantum *iura collegiorum*. Sic ius filii haud excent, nec quæ priuilegia illi data sunt, sibi vindicant, quæ bona ad ciuitatem, pagum & vicum spectant, sunt in eius patrimonio, nec confundenda cum bonis reipublicæ, de quibus c. vlt. lib. 2. actum est. Sunt tamen suo modo *publica*, quatenus imperanti plus iuris in illa competit, quam in singulorum patrimonium, cum eius inter sit, hæc bona vniuersitatibus perpetuo confernari & bene administrari. Plura sunt permisiva singulis in res proprias, quam vniuersitati in res suas &c.

(d) Ciues quidem inter se in *statu conueniunt*, quod sint

P p. 3

*sub-*

subditi; quia tamen subiectionis dantur diuersi gradus, inde etiam maior libertas quibusdam in republica competere potest, quæ aliis denegatur, prout cap. antec. dictum Interim hoc certum est, eo firmius cohaerere corpus ciuile, quo minus in æqualitate libertatis inter se differunt. Dat hæc ansam ad inuidiam, haec discordiam operatur, & mutua odia alit, dum qui maiori libertate in republ. polent, facile quoddam imperium in plebem sibi arrogant. Servius Tullius apud DION. HALICARNASS. lib. IV. ait; præcipue decreui ius ciuium æquare, ut omnes inter se pari & quo iure in iudicis ecclare possint. Hoc ipsum, vt fieri solet, ægre tulerunt patricii: nam idem alibi ait; communis omnium dolor est, quia ex legibus viuere assuefecerunt, pari iure vobiscum disceptantes, nec quod iam faciunt, pauperibus tanquam mancipiis abutentes. Vnde tot discordie in Rom. republica, quam ex patriciorum studio suppressimendi plebem? quæ æquo iure cum illis frui volebat, quod in plurimis plebi denegabatur. Nata est inæqualitas subditorum ex vitio reipublicæ, & ita ex eodem vitio iura inæqualia orta sunt. Monuit iam suo tempore CICERO lib. 1. de oratore p. 180. lit. e. sit ergo, ait, in iure ciuili finis hic legitima atque vicitatæ in rebus causisque ciuium æqualitatis conservatio. Ast in omnibus rebus publicis fere euenerit, vt qui vel diuinitis abundant, vel quibus simul reipublicæ administratio committi solet, ab aliis infima fortis subditis & iurium inæqualitate & conditio ne distinguantur. Sic Romulus populum undeque collectum more iam vicitato statim diuisi in plebeios & patricios. Inter hos connumerabantur genere & virtute celebres & opibus abundantes, & penes quos simul erat reipublicæ administratio, vt ait DION HALICARN. lib. 2. Hac distinctione facta statim quoque constituit, ut patricii sacra curarent, & magistratus gererent, & ius dicerent, & secum rempublicam administrarent, & urbanam munia assidue obirent: plebeii vero horum quilibet negotiorum essent immunes, sed agros colerent, pecus alerent, & artes quaestuosas exercerent. Eodem modo Theseus Athene

status diuersus hoc postulat , in cæteris  
æquali inter se iure fruuntur. (e)

§. VI. Vtut vero iura priuatorum primario  
ad ius publicum vniuersale non spectent ,  
cum

Atheniensem rempubl. ita adornasse legitur apud F L V-  
T A R C H V M in eius vita f. 11. aientem: *Primum discre-  
uit seorsim patricios, agricultos & opifices. Patricius cu-  
ram sacerorum & magistratum ex ordine suo dandorum per-  
misi ius, legumque disciplinam & interpretationem, quid  
ius fas esset. De cetero ciues adæquauit, quod dignitate  
patricii, utilitate agriculte, artifices numero viderentur  
præcellere.* At vero hæc prima distinctio sicuti in aliis  
ciuitatis, ita quoque in republica Romana perpetuas  
aluit lites. Ipse DION. HALICARN. cit. l. hoc non  
dissimulat de aliis ciuitatis, dum aut humiliores a poten-  
tioribus contemnuntur, aut viles & egeni excellentioribus  
inuident. Atque ex hac diuersitate subditorum primo  
orta distinctio inter nobiles & ignobiles. Interim dum  
in huiusmodi diuersam conditionem subditii se conie-  
ctos vident, singuli sua forte contenti sint, necesse est;  
est enim respublica quodammodo corpori humano similis.  
*Vtrumque est compositum & constat ex multis partibus,  
quarum singula nec eandem vim habent nec usus pares exhibe-  
nt, nam in republica unaquaque gens proprium aliquem  
reipubl. usum præbet, ut membra corpori. Alii enim agros  
colunt, alii pro ipsis pugnant cum hostibus, alii mercatu-  
ram exercentes multa commoda reip. ex mari afferunt, alii  
necc'arias artes exercent.* DION. HALICARNASS.  
lib. VII. Si igitur membra propter diuersa studia, con-  
ditionem, & iura inter se dissentire, & omnia unum  
idemque munus & officium obire vellent, non posset  
non presentem interitum sibi attrahere.

(e) Status diuersus subditorum tantum quandam diuersi-  
tatem iurium inducit, quæ scilicet ex peculiari illo sta-  
tu promanant; dantur præte ea alia iuria infinita, quæ

cum subditi tantum eis inter se fruantur, pleraque tamen ex statu civili diuersam sortiuntur indolem, (f) & quodammodo alterantur, vt in hoc statu non eodem modo amplius exerceri possint, ac quidem in statu naturali.

§. VIII. Incipiam a matrimonio tanquam se-minario reipublicæ, propter quod reipu-blicæ interest, vt matrimonium sit *constans*

&amp;

nullum respectum ad statum peculiarem, quo distin-guntur, habent, in quibus æquali iure fruantur Sic nobiles in contractibus & commerciis communibus non plus iuris sibi vindicare possunt, quam ignobiles &c.

(f) Extra statum ciuilem actiones singulorum ad propriam & peculiarem diriguntur vtilitatem, quæ in statu ciuili ad reipubl. salutem & ordinem compositæ esse debent. Quod preclare Pericles apud THVCYDIDEM lib. II. n. 139. ita demonstrat: Sic exstimo, etiam singulis homi-nibus plus eam prodeesse ciuitatem, quæ tota recte se habet, quam si qua priuatis floreat vtilitatibus, ipsa autem uni-versim laboret. Qui enim domesticas fortunas bene collo-catas habet, patria tamen euerfa, pereat & ipse necesse est. Contra vero etiam si quis in beata republica parum felix est, multo tamen facilitus per illam incolumis seruatur. Quare cum ciuitas quidem singulorum possit sustentare cala-mitates, singuli autem publicas non item, quid est, cur non uniuersim ipsi consilere ipsamque tueri oporteat, nec id facere, quod vos facitis, dum quasi attoniti iactura rei familiaris salutem proditis reipublicæ. Vnde propter statum ciuilem in iuribus subditorum priuatis quedam necessaria mutatio inducitur, quæ hic non prætereunda. Quæ vero utriusque statui communia sunt, omittenda sunt,

se fruantur,  
ueriam sorti-  
mmodo alte-  
odem modo  
dem in statu  
tanquam se-  
quod reipu-  
lum fit consu-

& bene ordinata societas, (g) nec promiscuae coha-  
bitationes tolerentur.

§. IX. Neque etiam ius naturæ præcise  
potestatem marito in vxorem concedit, (h)  
cum finis huius consuetudinis absque impe-  
rio huiusmodi obtineri possit; Ast in ciuili  
statu cum ordinata matrimonia esse debeant,  
hoc

sunt, quos limites H V B E R V S plane non obserua-  
vit.

(g) Evidem regule honestatis id quoque in statu naturali  
docent; ast ius naturæ non præcisè præcipit, hanç so-  
cietatem debere esse perpetuam, & ita in statu naturali ad  
tempus hæc consuetudo contrahi potuisset. Ast in sta-  
tu ciuili ordo reipublicæ aliud postulat, & quod in sta-  
tu naturali regulæ honestatis exigunt, in ciuili quoque  
ratio civilis postulat, ne promiscui concubitus toleren-  
tur, cum ex hac inordinata consuetudine non possit  
non ratio reipubl. periclitari. Vnde in omnibus rebus  
publ. matrimonia ordinata requiruntur, que constans  
& perpetuum vinculum postulant, saltē ut non facile  
disfrumpatur. vid. DIONYS. HALICARNASS. lib. II.

(h) Hoc etiam agnoscit P V F E N D O R F . lib. 6. c. 1. §. II.  
cum per se ex natura societatis coniugalis hoc imperium  
non fluat. Evidem H I E R O N Y M V S relatus in c. 1. s.  
C. 25. q. 5. ad ius naturæ prouocat, afferens, quod e-  
tiam gentiles feminæ viris suis seruant, communi lege na-  
turæ, & in c. 12. C. 33. q. 5. ait: est ordo naturalis in ho-  
minibus, vt seruant feminæ viris, filii parentibus, quia  
nulla iustitia est, vt maior seruat minori. Ast vero nec  
ego nego, imperium hoc in naturali ratione fundatum  
esse, maxime in ciuitatibus, in quibus matrimonia po-  
tissimum ita instituenda, vt respubl. ciuibus repleatur,  
& familia quæuis fertur bonis abundet, quo necessitate-  
tibus reipublicæ succurri possit, quem in finem in fami-

hoc ipsum vero sine aliquo imperio obtineri  
haud possit, marito illud, quod conuenien-  
tius est (i) concedi debuit.

## §. X.

Illi singulis imperium quoddam requiritur; Ast extra rationes has ciuiles necessitatem naturalem non deprehendo, nec in statu naturali femina cogi potuit, vt mariti imperium subiret, quippe quæ sui iuris fuit. Dicunt, imperium hoc esse ex iure diuino positivo, & iam obtinuisse ante conditas ciuitates Gen. III, 16. 1. Tim. II, 12. seqq. Ast Deus tantum prædictis feminæ mala futura, quæ subire necesse haberet, inter quæ etiam fore dicebat subiectionem, queis homines carere potuissent, si in statu integratatis mansissent. Paulus vero non loquitur de origine imperii maritalis, sed tantum prohibet, ne vxor marito imperet, si aliquid imperium adesse debeat, vti in statu ciuili requiritur, quin tunc potius conuenientius esse, ait, vt maritus imperet, vt in thesi dixi.

(i) Etiam HOB BE S de ciue c. IX. §. 5. inter statum naturalem & ciuilem distinguit, & imperium maritale huic recte adscribit. Cum itaque status ciuilis imperium aliquod in familia postulet, cui illud ex naturali ratione deferendum? masculo an feminæ? Illi sine dubio, cum etiam per masculos integrum corpus reipubl. simul sustineatur, conseruetur & defendatur, vnde masculorum est, omnia ita domi instruere, quo reipubl. benefic. Evidem ARRIANVS 2. H. Alex. M. c. 7. ait: *receptum solitumque in Asia iam inde a Semirami, etiam feminas imperium in viros exercere*, nec desunt exempla in Europa imperiorum muliebrium sat feliciter gestorum; ast de imperiis ciuibibus hic non loquor, & vero talia exempla irregularia sunt, nec inde argumentum viauieriale ad domesticam societatem inferri potest.

(k) Vtr-

§. X. Exinde quoque quædam prærogatiua imperii paterni (k) in liberos nascitur.

§. XI. Porro in statu ciuili officia humanitatis non raro transeunt in necessitatem, si illa vñibus reipublicæ necessaria visa fuerint. Atque hinc (l) nascitur *necessitas fiscipendi tutelam*(l) impuberum, aliorumque, qui se ipsos regere non possunt. §. XII.

(k) Vtique parenti *ius naturæ* committit educationem infantis recens nati, & cum hæc absque imperio esse non possit, vtique illud concedit, quatenus ad educationem necessarium est, & cum ad hanc tale imperium non sit necessarium, quod simul *ius vita& necis* in se contineat, dubito, an in statu naturali illud parentibus ex hoc imperio adscribi possit; interim si liberi hostilia quædam in parentes machinati fuissent, omnia in eos licita fuissent, quæ in hostem. Cum vero in statu ciuili intersit reipubl., liberos educari in spem patriæ, & pater in familia imperium habere debeat, etiam in ipsam vxorem, non potest non quoque prærogatiua imperii habere in liberos præ liberorum matre. Quantum autem imperium esse debeat, determinat ut plurimum lex ciuili.

(l) Suscipere educationem liberorum alienorum est officium pietatis, & humanitatis, & in statu naturali cuiusliberum est, cogi autem ad hoc nemo potest, cum officia pietatis coactionem in hoc statu non recipiant, cum singulis hoc incumbat, & ita alter ab altero id ipsum iure perfecto exigere non possit. Ast in statu ciuili sicuti omnes subditi sunt in tutela reipubl., ita multo magis hi, qui maiori tutela indigent, quales impuberis aliquique, & hinc Ictus in l. 2. §. 1. D. ne de stat. defunct. ad hanc rationem naturalem prouocat, aiens, quod impuberis sint in tutela publica. Cum itaque tutela harum personarum ad rempubl. spectet, ab imperante vero commo-

§. XII. Præterea (II.) pauperes, languidi & debilitati sunt alendi a republica, (m) & consequenter singuli ad hoc officium pietatis aliquid conferre debent.

§. XIII. In contractibus ineundis, (III.) quibus res in uicem permutantur, ratio re-publicæ postulat, vt pretia rerum non ex cuiusuis arbitrio, sed communi (n) determinentur.

## §. XIV.

de expediri non possit, illam subditis recte imponit, ad exemplum ceterorum munerum publicorum, quo intuitu recte Romani tutelam dixerunt esse munus publicum, & ita imperans est supremus tutor, qui inhabiles ex officio remouet, & quos habiliores iudicat, substituit.

(m) Sunt hi eodem sensu in tutela publica, quo impuberes. Dare eleemosynas est res misericordiae, sed in statu ciuili conuerti potest in necessitatem, si diuines nimis obdurate sint. *Hæc benignitas*, ait CICERO lib. 2. de offic. reipubl. *utilis est*, redimi & seruitute captos, locupletari tenuiores. Apud Græcos lex erat: mutilati in bello, publice aluntor. PLUTARCH. in Solon. Nam vir in ARIST. 1. Polit. 10. aliquo modo est eius, qui ciuitati præfet, & eius, qui rem domesticam administrat, etiam bona valetudinis suorum curam habere. De Thebanis AELIANVS lib. 2. c. 7. hæc refert: lex hæc Thebanorum rectissime & humanissime posita est, ne cui Thebanus liceat exponere infantem, neque in solitudinem abicere, capitidis supplicio constituto. Verum si extrema mendicitate pater laboret, siue mas sit, siue semina infans, iubet lex, eum statim a materno partu ad magistratum cum ipsis faciis afferre: qui acceptum alicui tradit leui pretio, cum quo paclam & conditions intercedunt, bona fide infantem alat, & ad ultimum serui vel seruæ loco habeat, sic ut pro mercede educationis operas eius accipiat.

(n) In statu naturali quilibet est rerum suarum arbiter, qui-

§. XIV. Non eadem quoque potestas de rebus suis disponendi (o) singulis permissa est in statu ciuili, quæ obtinuit in statu naturali.

§. XV. Imo in genere omnia iura subditato-

quilibet pretium rebus suis statuere potest, vt alter non possit conqueri de læsione, cum res per se pretium non habeant, sed ex hominum affectione consequantur. Ast in statu ciuili vnio peculiaris inter subditos postulat, vt singuli se accommodent ad iudicium maioris partis in republica, vt res suas haud maioris aestiment, quam communiter aestimari solent. Quod maxime tunc attendendum, si quis estimationem rei vel damni inire, vel alias pretium petere debeat. Et hoc est, quod vocant *instum pretium*. Ast si contrahentes ipsum pretium definiuerint, maior & laxior adhuc est libertas in pretio definiendo, modo dolus absit, vt ne tener facile de læsione conqueri possit. Optime SENECA lib. VI. de benef. c. 15. Quædam, inquit, pluris sint, quam venierunt, & ob hoc mihi aliquid extra pro illis, quantius emta sint, debes. Primum quid interest, quanti sint, cum de pretio inter ementem & vendentem conuenierit? Deinde non venit illud suo pretio sed tuo. Pluris est, inquit, quam venit. Sed pluris venire non potuit. Pretium autem cuiusque rei pro tempore est. Cum bene ista laudaueris, tanti sint, quanto pluris venire non possunt. Præterea nihil venditori debet, qui bene emit. Conf. ilustr. THOMASIVS de æquit. cerebr. l. 2. C. de rescind. vend. c. II. §. 29.

(o) In statu ciuili obtinet regula: expedit reipublicæ, ne quis re sua male utatur; manet quidem adhuc quinius rerum suarum arbiter, sed non quoad usum reipubl. nocuum. Inde olim apud Romanos profluxit ius declarandi prodigos.

torum inter se sunt *saluti reipublicæ* subordinata, & imperantis dispositioni (p) subsunt.

§. XVI. Porro defensio sui ipsius iure naturæ singulis permitta est, tam in *naturali* quam *civili* statu; sed in hoc nemini tam *laxum* spatum (q) indulgetur, vti quidem n illo.

## §. XVII

(p) Paœta, contractus, transactiones & quæuis alia negotia inter subditos possunt celebrari, & haec tenus robur habent, quatenus ab imperante non reprobantur, ex ratione reipubl. Aiunt, *principem non posse tollere ius quæsum subditorum*. Adde, *sine iusta causa*. Atque hæc semper supponitur, si ratio reipublicæ resistat pactis conuentis, de quo imperans vnicce iudicat. In casu publicæ inopæ creditores ius suum nimis acerbe & amare persequi nec possunt nec debent. Quædam imperans ad debitorum leuamen iuste remittit, imo ad aliquod tempus suspendit exactions debitorum. Inde nata sunt rescripta *moratoria*. Ad seditionem in republiça Romana sedandam senatus plebi debita remittere debuit. *Svetonius lib. I. c. 49.* refert, Iulium Cæsarem dictatorem tulisse legem occasione belli ciuilis, per quod multi ciues ad incitas erant redacti, vt creditoribus satisfacerent, æstimatione possessionum, quanta ille ante bellum erant comparatae, fœnus vero omne in vniuersum remitteretur, numerato de forte deducto. Qua ratione quarta pars deperibat. Similis lex lata fuit, diæta *Licinia apud Livium lib. VI. c. 38.* Eodem modo & iuramenta subditorum relaxare imperans potest, vt non habeant effectum ciuilem agendi, *Grot. lib. II. c. 13. q. 20.* Generatim *Cicerio lib. II. de LL.* huc respicit: *Respubl. nomen vniuersa ciuitatis est, pro qua mori, & totos nos dare, & omnia nostra ponere & consecrare debemus.*

(q) In *statu naturali* qui se hostem mihi profitetur, & rupto fædere humani generis, vt *Florus de latronibus loqui-*

§. XVII. Et denique libertas subditorum in quibusunque negotiis restricta (r) est ad salutem reipublicæ, quæ illimitata est in statu naturali.

## C A P V T IV. DE IURIBUS SUBDITORUM VACAN- TE IMPERIO.

### §. I.

**Q**UO magis iura subditorum, *stante imperio*, intuitu regiminis publici quietescunt; ita, *eo vacante*, eo plenius sese exserunt, cum deficiat illud vinculum, (s) quo antea constringebantur.

### §. II.

loquitur, quævis mala mihi intentat, non tantum *illatan* repellere, sed etiam *imminentem* præoccupare fas est. Sed in statu *civili* defensio quasi in puncto conficit, si iudicis copia deficiat, adeoque eius auxilio vtedum est, si tamen vis e longinquo immineat, & tantum priuata vindicta licita est, si quis aliter se suamque vitam defendere nequit. Porro in statu naturali non tantum *præsentem* vim depellere, sed etiam *in futurum* mihi securitatem procurare possum, & ita defensio non censetur finita, si vel maxime vis *præsens* feliciter fracta & depulsa sit; ast in statu *civili* securitas in futurum non a vindicta priuata, sed a magistratus ope & autoritate est petenda &c. vid. PYFENDORFF. lib. II. de iure nat. & gent. c. 5. §. 3. seqq.

(r) De hac restrictione aliquoties supra iam actum est, vt non necesse sit, illud denuo hic repetere.

(s) Per imperium in unum vel plures collatum desiderant velle singuli intuitu eorum, quæ ad summa rerum spe-

ctant,